



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCCXXVI. De Quodam facto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

Eodem anno in æstate circa festum Nativitatis B. Joannis Baptistæ idem Marschalcus cū fratribus & viris de Sambia dum venisset circa territorium Pograndam, divisit exercitum suum in IV. turmas. Sic quod Fr. Hartmannus & Fr. Fridericus Quitz cum LX. viris quasdam villas hujus territorii debebant invadere, sed erraverunt in via nihilque egerunt. Secunda pars exercitus, sc. fr. Fridericus de Libencele Commendator de Raganita cum CL. viris debebat latenter subintrare castrum Gademini & expugnare, sed nescio quo casu castrenses præmuniti castrum defenderunt, suburbiò penitus à fratribus concrematò. Tertia pars, scilicet Fr. Albertus de Indagine & LX. viri intraverunt habitationem cujusdam Nobilis & potentis viri dicti Sudargi, & eam cum villis circumjacentibus in cinerem redegerunt, uxorem ipsius & liberos & familiam cum multis aliis mulieribus & parvulis ceperunt, viris pluribus interfectis. Quarta pars exercitus fuit sub vexillo fratrum, cujus ductores dum errarent in via, etiam nihil egit. Tandem exercitus totus collectus ad propria est reversus.

## CAP. CCCXXVI.

De,

*Quodam facto.*

IN hoc exercitu accidit quoddam factum dignum memoriâ, dum frater Albertus de Indagine insultum faceret cursitando ad locum sibi deputatum, quidam armiger de equo suo cespitante cecidit. Et dum sic graviter læsus post longam moram resumptis viribus surgens, equum suum & fratrum exercitum undique circumspiciens, non videret turbatus ultra modum suspirans, elevatis oculis in cœlum, B. Virginem devotissimè pro auxilio invocabat, & facto signo crucis Deo & B. Virgini commen-

Ccc 2

dabat

dabat & eadem viâ, quâ venerat, rediit Raganitam. Contigit autem ipsum transire per quandam villam infidelium, qui ei viam rectam versus Raganitam, dum pro ipsa quæreret, ostenderunt. Sed dum non longè processisset à dicta villa, infideles videntes ipsum armatum, dixerunt ad invicem: utique iste est de exercitu fratrum, sequamur & occidamus eum. Accurrunt ergo omnes cum tota familia & canibus ipsum quærentes. Ille audito clamore canum & hominum abscondit se in sylva vicina, sed infideles advenientes sæpius ipsum circuibant & quasi à DEO percussus acrisiâ, ipsum non viderunt. Tandem fatigati ab inquisitione destiterunt, quo facto ille Christianus adhuc indutus armis suis venit Raganitam, & intrans Ecclesiam, procidit ad genua sua, & DEO & B. Virgini de tanto beneficio sibi exhibito gratias referebat.

## CAP. CCCXXVII.

De

*Combustione suburbii Junigede.*

**H**Oc etiam anno in die B. Matthæi Apostoli idem Marschallus cum magno exercitu venit ad campum Talsen, & mille & quingenti equites relictis equis sub vexillo fratrum pedestres transiverunt sylvam, dictam Wint, & in ortu diei dum vellent occultè accedere ad castrum Junigedam, & expugnare, castrenses præmuniti, accenso igne per indicium fumi vicinis gentibus fratrum exercitum prodiderunt. Præcedentes itaque fratres dictum castrum fortiter impugnaverunt, tandem post longam altercationem habitam inter eos, dum amplius agere non possent, suburbium dicti castri in cinerem redegerunt. Hoc factum dum fratres recederent & vicinæ gentes viso fumo ignis prædicti convenerant, & ipsos sæpius hostiliter inyaserunt, sic quod multi